



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis lesv instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Ipris Flandrorum, 1612**

15. Deuotio Ignatij donumque lachrymarum ac reliquarum eius virtutum  
enumeratio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45048**

iungebat, vt tametsi suos omnes indifferentes in rebus agendis esse vellet, sine propensione in alteram partem; tamen cuiusque naturam perspiciebat, & quemque ad suam propensionem aptè regebat. Intelligebat enim quàm laboriosum sit niti repugnante natura, nec quidquam violentum esse diuturnum. Atque hanc quidem *adiaphoriam* ita factam rectã esse cupiebat, vt in ea quidem exigenda, religiosa seueritas, in altero verò præstando paterna humanitas eluceret.

## CAPVT. XV.

*Deuotio Ignatij donumque lachrymarum ac reliquarum eius virtutum enumeratio.*

**E**Xitum historiæ nunquam inueniremus, si admirabilem B. Patris amorem persequi, reliquasque virtutes eius innumerabiles commemorare vellemus; plusquam humanam in constituenda hac Societate prudentiam, animi magnitudinem in suscipiendis rebus arduis, contrariis ad-

Summa virtutum eius enumeratio.

E uersisque



uersisque repellendis, mansuetudinem  
 & comitatem in conciliandis animis  
 eorum quibuscum agebat, flectendâ  
 que eorum qui sibi aduersabantur  
 voluntate. Quid dicam de incredibili  
 eius vigilantia ac sollicitudine in re-  
 bus inchoatis ad exitum perducendis?  
 non enim rationes & vias solùm effi-  
 caces ad agendum inuestigabat: Sed  
 institutum opus nunquam deserebat,  
 nisi confectum & absolutum cerneret.  
 Quid de singulari perpetuaque Dei  
 fiducia? Sperabat enim eius patrocini-  
 um in carceribus, opem in labori-  
 bus, potentiam in rebus arduis, benigni-  
 tatem in egestate, liberalitatem in  
 alenda familia, quam sæpe mirabiliter  
 sustentauit, spemque illius non fuisse  
 vanam manifestis nonnunquam Deus  
 signis ostendit. Quid de eius mode-  
 stia? quid de gravitate verborum? quid  
 de coercenda temeritate alienas  
 actiones condemnandi? quid quàm  
 circumspectus in dicendis vel audien-  
 dis alienis peccatis tametsi publicis  
 ac diuulgatis? quid de lenitate ac  
 prudentia in abrumpendo sermone  
 qui



qui vel minimam obstrependi occasionem daret? quid de ceteris eius virtutibus iisque adeo perfectis, ut si vnæ quæque sola in eo fuisset, adeoque eminentibus, ut iudicare difficile sit, in qua magis excelleret. Sed his prætermisissis ad eam veniamus quæ reliquarum dux est & magistra, & veluti quidam aquæductus, vnde manant & fluunt in animam caelestia dona ac munera, orationem dico ac pietatem, & perpetuam cum Deo consuetudinem.

Confessus est ipsemet sese à Deo pietatis dono cumulatum fuisse, idque quadam animi demissione infirmiori valetudini suæ attribuit, quòd iam inclinante ætate & ad morbos propensâ, vnâ pietatem colere posset, nihil præterea. Sacerdotij dignitatem adeptus inter solemnes & diuinas preces tanta caliditate voluptate perfundebatur, tam vberes fundebat lacrymas, ut in singulis pænè verbis cogeretur insistere, preces etiam horarias frequenter interrumpere, quibus rebus factum est ut in admittendo

Orationis  
studium  
eiusque  
deuotio.



dorum luminum discrimen veniret.

In rebus grauioribus nihil vnquam decernebat, etiamsi decernendi probabiles rationes multæ suppeterent, nisi Deum precatus, ei negotium suppliciter commendasset.

Nulla diei hora dilabebatur, qua se non colligeret, omisisque ceteris cogitationibus animū discuteret. Quod si negotium paullò grauius eius orationem abrumperet, eam iacturam prima commoditate compensabat, quamuis rebus exterioribus ita se nunquam commodaret, vt internam animi pietatem amitteret.

Intuebatur Deum præsentem in rebus omnibus, iisque tanquam libris utebatur, in quibus eius perfectionem legeret, & ad eum mentem erigeret. Quidquid videbat, inde salutaria vitæ documenta eruebat, affirmabatque hoc genus orationis vtilissimum esse iis qui officiis profanis exercentur.

Priusquam ad orationem accederet, animum præparabat, & eius interiora scrutabatur, itaque seipsum incendebat, vt os ei inflammari & ignes

ignes



ignescere quodammodo videretur,  
quod obseruatum sæpe à nobis est.

Sic attentus erat ad rem etiam mi-  
nimam, vbi cum Deo agendum erat,  
adeoque in ea peragēda sibi præsens,  
vt Dei maiestatem coràm intueri vi-  
deretur; verbi gratia, cùm sumendis  
epulis solemnem precationem adhi-  
beret, vel sumtis gratias ageret, & in  
aliis eiusdem generis. Inter orandum  
assiduæ perennesque lacrymæ Dei  
munere fluebant ex oculis, ad quas  
accedebat vt magna mentis alacri-  
tas, ita non modicum corporis detri-  
mentum, quod tamen ne animi fru-  
ctum perderet negligebat. Sed cùm  
& rationibus & consilio medicorum  
persuasum haberet, quantum illo con-  
tinuo fletu valetudini suæ officeret,  
sic eius dominatum à Deo precibus  
impetrauit, vt arbitrio suo lachrymis  
habenas laxare vel coercere videre-  
tur, in eoque tantam accepit diuinæ  
miserationis gratiam, vt ficcis oculis  
animus tamen maderet, & rationis  
imperio consumtis lacrymis earum  
tamen fructus hæreret. Nullo strepitu



quamuis magno, turbabatur vel ab oratione reuocabatur, siquidem nullam eius occasionem dedisset: minime verò si in eo vitando antea fuisset incurius: ita ut non ipse strepitus eum, sed imprudentia in eo præuidendo aditumque præcludendo turbaret.

Interrogatus à P. Layne quam viam & rationem in orando seruaret, se non agere in rebus diuinis, sed agi partique respondit. Has enim voces usurpant ij qui de cõtemplatione tractant scriptores, eumque altissimum cõtemplationis gradum statuunt. Hinc videlicet vbi de Hierotheo magistro suo diuinus Dionysius Areopagita agit: *Erat, inquit, patiens diuina. Sanctissimæ Virgini Mariæ secundum Deum opt. max. fuit addictus, cuius ut in perpetuum patrocinium se tradidit, ex quo lux cælestis ei primum oborta est, ita fidem deinceps omnibus in rebus durioribus implorauit, ut mirum non sit ab eius potentissima ac benignissima manu multa eum præclara beneficia accepisse, ut ex iis quæ dicta quæque dicenda sunt perspici potest.*

C A.

Dion.  
de diu.  
Nom.

Eius  
erga B.  
Virgi-  
nem  
deuo-  
tio.